



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Fundamenta duo procuranda in Octiduana Recollectione, necessaria pro  
Renouatione animæ. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

duciam assequeris, & in omni virtute perfectior eris. Et hac sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare, vnde vel prouocaris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum. Talia meditando & ruminando tempus vtiliter expendis, dum occuparis in bonis studiis circa ipsum Dominum Iesum Christum, & mores tuos emendas, & formam vite ipsius & conuersationis semper ad eum respiciens. Qualiter in his se habuit, vel se habere potuit, secundum existimationem tuam; quia qui in omnibus semper est optimus, optimo & perfectissimo modo se gerat.

18.

dr. 2. c6r.  
Aristogit

IV. Regulæ & Ordinationes & omnia Statuta tui Ordinis, vel Congregationis, vel Capituli, si es Canonicus, vel Synodi Diocesanae vel Prouincialis, si es Parochus, præbent amplum & sufficiens Magisterium, etiam si alia deessent. Hoc est insitum omnibus legibus, etiam humanis & politicis: docent quæ vitanda sunt, quæ faciendæ, & morum morbos curant. Hinc Demosthenes dixit: Corporum agrotationes medicorum inausurri & operâ curari, animorum verò ferocitatem propulsari ac euici Legumlatorum sententiis. Quapropter quicquid in te inueneris discrepans ab his quatuor Magistris, abole, vita, & contraria acquirere deinceps stude.

## CAPVT TERTIVM.

*Fundamenta duo procuranda in Octiduanâ Recollectione, & in quotidianis meditationibus, necessaria pro renouatione anima.*

Cætèrum vt constans sit tui Renouatio quoad supradicta, duabus in rebus debes te fundare in meditationibus, præsertim tempore annuæ Collectionis. 1. In viuâ & profundâ cognitione necessitatis te in supradictis rebus renouandi. 2. In abscondendis à te illis impedimentis, ob quæ antea, siue per quæ, deueniebas, ad maculandam hanc in te Dei imaginem, ac similitudinem deturpandam, & faciendas contraria fini tuo, ad quem creatus, & ob quem ad tuum Ordinem vel Congregationem vocatus es. Nam nisi te benè fundaueris in his duobus, bona proposita, quæ tempore meditationum facies, non durabunt, citò redibis ad malos pristinos mores; & tepidè viuendo ac negligenter, & non iuxta perfectionis dictamina, infamabis Exercitia: vti dicebat S. P. N. Ignatius de iis quos non sperabat per ea adiutū rī.

Necessitatem te perfectè renouandi, tum aliis viis, quas Divina Maiestas ostendere solet in Exercitiis, tum his apprehendere poteris.

19. Primò, Ipsa imaginis artificiatæ natura id exigat; nam vti anno 1594. dixit nobis Cardinalis Bellarminus in quadam Exhortatione domedæ ascens. & postea scripsit in Opusculo quodam; Si imago sensum haberes, nihil magis optares, quàm perpetuè ex-

emplar suum aspicere. & ad illius imitationem se componere. & illi quàm simillima fieri. Exemplar tuum, ô anima, Deus est. Et hoc ipsum ante Bellarm. S. Basilium commendauit his verbis: Homo ad imaginem & similitudinem Dei fuerat factus. Imaginē autem dignitatem illam, ac decorem peccatum, animo ad vitiosus cupiditate depresso, deformauit. Agedū igitur ad eam, in quâ ab initio eramus, & à quâ propter peccatum abalienati sumus, redeamus gratiam, nosq; rursum ad Diuine imaginis speciem conformiter exornemus: abieciq; profus omnibus vitiosis animi affectionibus, sedulo operam demus, vt orsus nostri Authori similes efficiamur. Qui enim in seipso, quantum in ipso sit, nature Diuine liberrimam affectionum tranquillitatem imitatus fuerit, hic desideratam prius in animo suo Dei imaginem restituit pristino nitore. Qui verò eo modo, quo diximus, Deo se similem effecerit, is profus Diuine etiâ vite similitudinem acquisiuit perpetuè deinceps in aspiduâ vsq; beatitudine mansurus. Si igitur vitiorum vacuitas ea est, per quam amissam Dei imaginem recuperamus, & similitudo, quæ cum Deo nobis est, vita nobis aternitate largitur, haud dubiè in hoc toto pectore debemus incumbere, vt animus noster nullius inquam vitij opprimatur tyrannide, illudq; diligenter curare, vt neutrobi mens nostra euariet, neque propter illos tentationū impetus, se in terram patiat prosteri, vt hoc modo in Diuine beatitudinis societatem venire possimus.

Imago enim, vt ait S. Ioannes Damascenus, ab imitando nomen habet, quasi diceret imitatio, quæ illum in se, cuius est imago, tanquàm eius effigies, exprimit, & similitudo. Nam Græcum εἰκων, ab εἶκω, id est, asimilo, represento, deducitur: vti ex Concilio II Nicæno docet Sanderus l. i. de ador. imag. c. vlt. §. Leoni. Esse autem similem Deo, inquit S. Chrysostr. h. 33 ad est omnium summa bonorum. Cùm ergo sis rationalis imago Dei, debes optare & te renouare, vt sis Deo simillimus. Homo enim idcirco creatus est, inquit S. Gregorius Nyssenus, vt esset Diuine ac supernæ virtutis animatum quoddam simulacrum.

Secundò, Dei immensi intima præsentia & perspicacia, cernentis magis nos & nostra omnia, quàm possint videri ab humano oculo facies nostræ. Si ergo venturi in conspectum hominū, erubescimus comparere in publico, scientes nos habere maculatam faciem vel vestem fatentē, ideoque quamprimum hæc abolere nitimur, quantò magis id faciendum est, ob maculas & fordes animæ, & ob respectum infinitæ puritatis & sanctimonie nobis intimè præsentis, & omnia cernentis, & summè abhorrentis ab omni maculâ, animam, quæ est domus eius & habitaculum, fœdante: Non est quisquam, inquit S. Basilius, qui vbi verè præstantiorem adesse aliquem sibi persuasit, eo spreto, se ad minus præstantem conuertat: quin contra potius si aliquando inciderit, vt quæ facit, ea clarioris illius opinione ac iudicio approbentur, ab altero autem illo reprehendenda videantur, haud dubiè ille, sprete inferioris vituperatione, clariore illius approbationem antiquiorem habebis. Quod si hoc in hominibus contingit, quid tandem putandum sit, animam,

animum, qui modò sanus sit ac sobrius, si verè adesse Deum sibi persuaserit, omnis illis que placere intelligebat Deo, conuersum iri ad aucupandam ab hominibus sui existimationem, aut neglectu Dei præceptis, hominù esse consuetudini & ingenio seruiturum: aut de vniuersi existimatione pendens, vinci se sinet: aut vllà vllius dignitate exterritus, de statu dimouebitur: Hoc modo affecta mens erat illius qui dixit: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua Domino. Et item: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum & non confundabar.

Terriò, Dei non qualiscunque præsentia, sed tanquam habitantis in domo animæ tuæ, quæ inhabitatio & cohabitatio Dei, exigit summam mundiciem & ornatum animæ tuæ, tantæ Maiestatis inquilinum habentis. Nã, vt ait S. Greg. Certè si domum nostram quisquam diues aut propotens amicus intraret, omni festinantia domus tota nũdaretur, ne quid fortasse esset, quod oculis amici intrantu offenderet. Tengat ergo sordes prauis operis, qui Deo preparat domum mentis. Vt enim scribit S. Ildorus Pelosiora, Aptiorem sibi ac familiariorẽ sedem vllã non constituit, quàm puram & castam animam. Eoq; etiam nomine ait, inhabitabo in eis & ambulabo.

Quartò, Dei sessio in animã tuã, cui non tantum præsens est intimè (vti etiam damnatis est præsens) non tantum inhabitat in iusto, sed ita inhabitat, vt elegerit animam iusti cuiusuis tanquam thronum suum: siquidem anima iusti, thronus & sedes est sapientie, in quam se transfert. Nũc Christus, inquit S. Augustinus, habet in nobis sedem suam, adificata est sedes eius in nobis. Nisi enim sederet in nobis, nos non regeret; si autem ab illo non regeremur, à nobis ipsis præcipitaremur. Sedet ergo in nobis, regnans in nobis. Cum enim mens reddita fuerit iusta, ait S. Chryostomus, cum exuerit peccata, sit domicilium Dei. Cum autem Deus illam inhabitat, nihil humani residuum est. Sedet autem in animã tuã multiplici bono tuo,

I. Dans tibi quouis momẽto temporis, (quod elegeris pro libitu tuo) faciliẽ accessum ad proponenda ei quæcunque cupis, quod nullus Rex concedit vlli sibi caro famulo, & cubiculario, arcens certis temporibus omnes à suo accessu.

II. Sedet in hoc throno, sine intermissione, cogitans de omni bono tuo, & quidem, vt dicitur Ierem. 29. 17. Cogitans cogitationes pacis, & non afflictionis.

III. Sedet in hoc throno dans decreta, quibus moti beati spiritus, custodiunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum, & te instruit tanquam Preceptores & Pedagogi tui, (à S. Basilio, Chryostomo, Bernardo sic appellati) vt scias, quæ vitæ te, quæ facere debeas.

IV. Sedet dans decreta, per quæ coërcentur hostes tui, te potentiores & robustiores, qui omnino te debellarent, & in suam captiuitatem redigerent, nisi coërcerentur à sedente in throno animæ tuæ. Quis, inquit B. Laurent. Iustinianus,

multiplicibus immundorum spirituum agnibus, & ipsorum fraudulentis posset repugnare suggestionibus, atque sustinere impetus, si non ipsorum de Verbi mandato, per Angelicas potestates reprimerentur impulsus, virtutiq; debilitarentur?

V. Sedet in hoc throno (sicut ait Concilium Tridentinum) tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influens: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine quã, nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent. Atque hac ratione omnium bonorum operum tuorum est causa, intimè tibi præsens, & perpetuis te beneficiis ditans, tanquam fons eorum in te existens. Mentem autem habentes, inquit S. Ioannes Chryostomus, magis beneficia quàm pena ad mandatorum attrahunt obedientiam.

VI. Sedet in hoc throno ornans animam tuam, tanquam pretiosis lapidibus bonorum operum, & virtutum actibus, & simul augens in te habitus virtutum (qui, vt aiunt S. Chryostomus, S. Nyssenus & S. Bernardus, ornatus sunt animæ) productos per actus virtutum ex influxu gratiæ diuinæ. Qui habitus, sunt tanquam monilia, multos lapides pretiosos in se habentia, ob vim quam in se habent eliciendi alios actus virtutum, quorum sunt principia & veluti fontes, ex quibus emanant meritoria virtutum actiones. Quid sunt virtutes, inquit S. Bernardus; nisi margaritæ quædam in sponsa ornata splendore perpetuo coruscantes: perpetuo, inquam, quia sedes sunt & fundamentum perpetuitatis. Nec enim perpetuæ beatæque vitæ omnino locus in viã est, nisi medius interiecti quæ virtutes. Huiusmodi virtutum gemmis, ait B. Laurentius Iustinianus, fabricata est corona sanctorum. Poterit virtutes hæc, à Deo in nobis præsentem emanantes, non tantum animam, eiusque potentias, sed etiam ipsum corpus ornant. Tum quia gratia etsi resideat in animã, tamen vt docet S. Thomas, redundat in corpus effectus gratiæ, dum membra nostra exhibemus arma iustitiæ Deo; tum quia quidam habitus virtutum moralium acquisiti, domantes passionum motus, inhaerent ipsis potentiis corporeis, concupiscibili & irascibili, ex quibus passionum motus procedunt, iuxta S. Thomæ & Theologorum doctrinam. Masculinæ enim virtutes sunt, (vti eas appellat S. Ambrosius) quibus mens nostra & caro ipsa firmatur, & ad obeunda impigere munia virtutis erigitur. Vnde bene scripserat Seneca Epistol. 66. Virtus magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. Tum quia exteriorum membrorum compositio recta & decora, per virtutem modestiæ cauatur: tum quia per alias virtutes reguntur & frænantur sensus & passiones & membra nostra, ne quid per ea fiat cum Dei & proximi offensa ac iniuriã. Quæ omnia sunt beneficia sedentis in throno animæ Dei, qui præterea

de casto conu. c. 18. col. 7.

23. scil. 6. c. 16.

24. h. 80. ad pop.

Chryst. h. 31. ad pop. & h. 25. in Acta in morali. Nyss. l. de opificio cap. 4. Bern. l. 27. in Cant.

25. ser. 27. in Cant.

scd. omnia sanct.

26. 3. p. q. 79. a. 1. ad 3.

1. 2. q. 56. a. 1. 3. 4. 6. & q. 61. a. 2. & q. 85. a. 3.

27. Amb. l. 1. r. de Cain & Abel. cap. 10. 2. 2. q. 160. a. 1. & 2. Et q. 136. a. 1. Et q. 141. a. 2. & 3. Et q. 146. a. 2.

le. in. f. onach.

P. 1. 8.

21. h. 70. in Euang.

h. 1. ep. 186.

Sup. 7. 7. iura e. dit. 70. conc. 1. in P. 1. 8. 8.

13. ad p. de in. trib. qui exar. ab. 1. p.

Enl. de Sp. S. c. 3. & l. 3. cont. E. n. nomi. Chryst. h. 3. in epist. Coloss. Bern. l. 1. in Qui habit.

22.

28. de instr. & regim. Prælat. hom. 4. ad pop.

virtutis membris ac sensibus, ad opera variarum virtutum. *Sunt enim membra nostri corporis, ut ait B. Iustinianus, instrumenta animæ, & instrumenta iustitiæ; & arma, inquit S. Chrysostomus. Vnde dicit: In potestate nostra esse quodque membrorum nostrorum siue malitiæ, siue iustitiæ instrumentum facere.*

in 2. d. 26. q. 2. a. 1. ad 3. Et 2. 2. q. 17. a. 1. ad 1. Et q. 6. a. 4.

VII. Sedet in throno animæ tuæ Deus, promittens tibi magna præmia in cælis pro benefactis, cuius promissionis indicia certa sunt, ætæ Spei supernaturalis, quæ nihil aliud est, quàm certa expectatio futuræ beatitudinis, proueniens ex Dei gratia & congregatione bonorum operum, à nostro libero arbitrio à Dei gratiâ excitato & adiuto prouenientium, vt Theologi docent cum S. Thoma, & Concilium Tridentinum sessione 6. c. 16.

VIII. Sedet paternè amplexans te, per spirituales consolationes & pios affectus, quos in te sentis erga Deum & res Diuinas, Ex quibus affectibus pullulat odium omnis peccati, & nauseæ rerum terrenarum, nos à Diuinæ familiaritatis amplexibus, vel impediendum omnino, vel saltem in eis retardantium.

IX. Sedens in throno animæ tuæ, docet te multa per se ipsam, non tantum per Angelos (vt communiter facit omnibus) illuminans intellectum tuum, circa quædam particularia, non vulgaria nec communia omnibus, quibus communicat solita auxilia gratiæ illuminantis intellectum & accendens voluntatem ad odium peccati & amorem virtutum. Istæ doctrinæ, sicut lumina quædam, quæ Deus solet vel in meditatione, vel in communionem, vel alio tempore infundere quibusdam, non necessaria prorsus ad salutem, (quia sine illis possent saluari) valde tamen excitantia ad actus heroicis virtutis, per quos homo & crescit, & corroboratur, & magis ac magis in perfectione Euangelicâ, & sanctitatis eximie desiderijs ac studijs, quæ non in omnibus reperuntur.

29.

X. Sedet in throno animæ tuæ, iuuans te, & seruans tibi, in omnibus actionibus tuis internis & externis, multo magis, quàm vllus seruatorum, ac rusticorum, aut mancipiorum seruiat heris ac dominis suis, etiam in vilissimis quibusuis actionibus ac necessitatibus eorum. Nã, vt ait S. Thomas in Opusc. 63. cap. 2. §. tertium principale num. 19. *Est tibi aliud inflammans animam ad amandum Deum, scilicet Diuina humilitas. Nam Deus omnipotens singulis Angelis sanctisq; animabus in tantum se subicit, quasi sit seruus emptitius singulorum, quilibet verò ipsorum sit Deus suus. Quomodo hoc? Quia sicut causa prima ac vniuersalis concurrat ad omnes & singulas etiam vilissimas actiones tuas, idque magis quàm tu, quia, vt nos Fides & Theologia & Philosophia, contra hæresim Pelagij id negantis, docet, Deus est causa principalis omnium & singularum nostrarum actionum, quæ à nobis tanquàm à cau-*

sa secundariâ primæ subordinatâ, & ab eâ penitus dependente procedunt. In Deo enim, vt dixit Apostolus, *uiuimus, mouemur, & sumus.* Talis autem Dei ad singulas nostras actiones concursus, est quædam seruitus: Proinde exigit à nobis omnia possibilia, quæ in eius cultum & obsequium ac amorem præstare possumus. Si enim Rex vel Imperator ex amore erga te, per vnum tantum mensum, ad tuam habitationem veniret, & dum tu veris cubiculum, ipse etiam illud verteret, & ligna pro coquendis tuis cibis ipse instar subcoqui conueheret, conuecta finderet, fissa in culinam adferret, & delatis iis ignem ipse accenderet, & accensum perpetuo foueret, noua ligna addendo, & cibos pro te in ollam imponeret, prius à se scissos, & accommodatos, & ex ollâ acceptos mundaret, & benè coctos ipse tibi comedendos adferret: & in tuâ mensâ poneret, & in orbe scinderet, ac ori imponeret furculâ, & tibi potum scypho tuo, & deinde ori infunderet, in cubiculo verò tuo, pennas ipse pro te aptaret, & atramentum tuo atramentario infunderet, & chartam pro tuis vlibus ipse adferret, & allatam pulchre plicaret ac leuigaret, tuamque pennam scribendo intingeret, & manum ad benè formandos characteres duceret, & lectum tuum quoti die commodè sterneret, calcæosque tuos ac vestes luto infectas abstergeret, tua indusia & foccos tuos sordidos ipse lauaret. Denique quicquid tu facis (solum peccato & imperfectionibus exceptis) ipse in te, per te, tecum, pro tuo commodo & bono faceret, audeat sine illum offendere, vel contumaciter in talibus, vt ita dicam obsequijs, tibi ex amore erga te impensis. An non totus te euiscereres, ad tantum Imperatorem ac Regem ita tibi seruientem in omnibus (quod nullum vnquam mancipium seruiuit, imò ne quidem seruire potest) diu noctuque omni possibili modo colendum & amandum, & nil omittendum, quod ei abs te possit, cum eius gustu & delectatione, præstari? Cum ergo Deus magis tibi in his seruiat, non vno mense sed totâ vitâ tuâ, & vt scribit Seneca; *ipse humano generi ministrat, vbique & omnibus præsto sit,* & tam malè cum habentis tractaueris, tum mala cum offendentiâ & contristantiâ committendo, tum multa bona omitendo, tum multa bona tepidè, negligenter, & valde imperfectè peragendo, vide quantam merearis pœnam & indignationem Dei, in te tibi præsentis, & quàm perfectam viuidrationem deinceps inire & constanter profequi vsque ad mortem debeas, contempto omni humano respectu & tuorum solatiolorum illecebris. Quod enim Deus Pater S. Catharinæ Senensi dixit: *spiritum sanctum factum esse seruitorem nostrum egregium,* hoc de totâ Diuinitate & omnibus Diuinis personis (sano modo rem intelligendo) dici potest, eas nobis modo supradicto seruire, præsertim cum etiam ad actiones in quibus

quibus Deum grauissimè offendunt quàm plurimi, concurrat Deus, quoad materiale earum, vt loquuntur Theologi, ob quem concursum vere accommodari potest illa Dei exprobratio, suis malis seruis per Isaiam Prophetam vulgarita: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, prebuisi tibi la-*  
 11.43.14. *borem in iniquitatibus tuis.* Sanè si Imperator vel Rex, coactus à te quodammodò violentè, per se solum, expurgaret talceos tuos sordidissimos, idque libenter faceret tui causà, quia amat te, & quia voluit obedire voluntati tuæ, quid pro illo non faceres? quid non patereris sine querelâ cum ergo concurrente Deus ad actiones tuas, tuis peccatis (quæ sunt sordidiora omnibus huius vitæ sordibus) coinquinas, ita se tuæ voluntati obsequentem ad minimum nutum tuum exhibeat, quid te pro amore eius & facere & pati oporteat? Agnosce & constanter semper exequere.

31. Denique vt pulchrè descripsit B. Laurentius Iulianus, Dei in nobis præsentis beneficia: *Imperat vt Deus, terret vt Dominus, protegit vt cuflos, hortatur vt Pater, docet vt Magister, cohabitât vt Frater, nutrit vt Mater, blanditur vt Amicus, amplexatur vt Sponsus, illustrat vt Veritas, præuenit vt Bonitas, se manifestat vt lux, loquitur vt Verbum, dulcorat vt Sapientia, salutemq; præstat vt vita.* Quæ omnia & beneficia & auxilia Dei intimè nobis præsentis, exigunt à nobis omnibus, ei vt conemur per feriam nostri in rebus omnibus renouationem, esse simillima imago, tot eius adiumentis ad hoc allèquendum instructi. Quocircà, vt monet idem Sanctus ibidem, *Vnusquisque nunc ab exterioribus feriatu negotiis, maneat apud se, vt veluti iudex in Cathedrà sedens, omni quæ valet prudentiã agnoscere studeat, quales sint cordis sui cogitationes, quales suggestiones, qui insultus, & à quibus quale sũt affectiones.* Nam qui hæc diuidicare ignorat, prorsus verã sui caret notitiã, nec potest ad plenum ac sufficienter purgare se, euellere vitia, (quod ante omnia faciendum est, in renouatione nostræ imaginis) destruere aduersariorum (visibilibus & inuisibilibus) machinamenta, consuetudines malas dissipare, & noxia à corde desideria disperdere, virtutes verò edificare atque plantare: quippe per quas perficitur renouatio nostri, & inducitur similitudo eum Diuinis moribus. Cùm enim virtutes & vitia semel nequeant flare, quemadmodùm lux & tenebræ, amarum & dulce, sanitas & infirmitas, mors & vitæ, necesse est, vt quicumque cupit possidere virtutes, ipsius vitia superet, & vsus eorum à se repellat. Hæc de lesione Dei decupla.

Quinò, Persuadere tibi debet necessitatem renouandi te, modis suprãdictis, Duplex Dei vnio tecum. Primò, per amorem, iuxta illud Apostoli: *Qui adheret Deo, vnus spiritus cum eo est.* Amantes autem se tam magno & puro amore, (vti est Dei erga nos) omnia vitant, & abolent, quæ possunt offendere amatum valdè, & nil omittunt eorum, quæ sciunt ab illo valdè desi-

derari in amato. *Secundò*, vnio, est conformitas voluntatum. Cùm autem Deus nos amans, vt *Psal. 144.* *luntatem timentium se faciat*, vt ipsemet dixit per 19. Prophetam, æquum est, vt tu in omnibus eius facias voluntatem: hæc autem impletur *declinando à malo, & faciendo bonum*, modis suprã explicatis, & in his sita est tui renouatio.

Hinc sequitur, magnâ cæcitate & impudentiã & ingratitude te laborasse, si præterito tempore, datâ operâ, sæpè offendisti Deum, & offendendo, eius in te imaginem sædasti, & similitudinem minuisti. Ideò sicut mereretur grauissimum supplicium, si quis thronum Salomonis, etsi non in eius bonum, nec eius causâ illi infessuri, vel insidentis, sed condemnaturi reos, sordibus sætidis conspurcasset, & multò magis, si id faceret throno eius tunc dum vel illi insideret, vel breui ad eum accessurus esset, magnis eum priuilegiis honoraturus, ita multò magis tu mereris pœnarum grauissima supplicia, & abominationem in oculis Sanctorum de Dei honore sollicitorum, dum studio, datâ operâ, venialium peccatorum maculis conspurcas animam tuam, quæ est thronus Dei, qui, vt dicitur in Euangelio: *Est plus quàm Salomon.*

Matth. 12.42.

Resolue ergo te semel pro semper, immutabiliter, nullo deinceps veniali peccato delibato maculare hunc Dei thronum, & hanc Dei imaginem, animam scilicet tuam: Item nil delibere omittite eorum per quæ posses aliquem actum virtutis, tuo statui & conditioni conuenientem facere, & per eum crescere in aliquâ virtute, quæ, vt dictum est suprã, *facit nos similes Deo.* Quoniam verò huius renouationis sunt quædam impedimenta, quæ ultra internam nostram malitiam, extrinsecè nos ad mala incitant, & perducunt, & à bono auertunt, idè secundo loco fundare te debes in firmâ resolutione, nunc faciendâ semel pro semper, idque immutabiliter, vitandi & auferendi omnia talia impedimenta.

num. 7.

Existimo hominibus iustis, non tantùm nocere dæmonem per se solum, quantum nocet per homines, præsertim domesticos, excitatos ad danda mala exempla, & mala consilia, & ad vituperanda in nobis alii sũt piè & religiosè acta. Hoc multiplex impedimentum ne tibi post Exercitia noceat, nunc debes te contra illud diuinè armare, tum frequentî imploratione diuinorum auxiliorum efficaciam, vt tibi adsint in occasionibus, tum firmissimâ resolutione nil ob humanos respectus deinceps faciendi contra Dei & Ecclesiæ, & tuæ Congregationis leges, & nil omittendi præscriptum à talibus legibus, vel certè à bonorum exemplis, & consuetudine receptum & quasi commendatum. Hæc resolutionem his Considerationibus præter alias poteris diuinis adiutus auxiliis concipere, & profundè conceptam immutabiliter deinceps conseruare, in occasionibus, quæ se offerant

confureandi animæ tuæ imaginem, & denigrandi similitudinem cum Deo.

## CAPVT QVARTVM.

*Armandus animus in obſiduanâ Recollectione contra reſpectus humanos.*

**I**n omni hominum ſtatu, etiam religioſo, propter humanos reſpectus, multa mala fiunt, & multa bona omittuntur, multa bona, etſi non omittantur, imperfectede peraguntur. Ideo ſæpè commendare ſoleo mortificationem & abolitionem humanorum reſpectuum iis, qui volunt eſſe viri verè ſpirituales & perfecti. Ad hoc conducent ſequentes conſiderationes.

33. *Primo*, Conſidera lumine fidei, & rationis naturalis te cognoſcere, Deum eſſe præſtantiorẽ, & tibi magis vtilẽ, maiorem benefactorẽ tuum magiſque neceſſarium omnibus hominibus, non vno tantum vel duobus, & Deum magis eſſe metuendum, eiſque offenſas magis cauendas, quàm illas hominum, ob quarum merum multa mala commiſiſti, & multa bona omiſiſti. Quanta ergo ſtultitia eſt, & impudentia, & facinus omni ſupplicio dignum, ſi malis offendere & contriſtare Deum, quàm aliquem amicũ, dum, ne eum offendas & contriſtes, facis aliquid malum vel omittis bonum? Quã fronte comparebis in iudicio particulari Dei, quando tibi id exprobrabit? Quid respondebis? Reſolue ergo te ad demonſtrandam hac quoque in re fidem tuam, quã credis Deum eſſe cunctis hominibus præſtantiorẽ, tibi que vtiliorẽ, & maiorem benefactorẽ & magis tibi neceſſarium, proinde maiorem habendum à te reſpectum Dei, mala verantis, bona ſuadentis, quàm tui amici te ad contraria inuitantis, præfertim, quia ſi Domino alicui temporali magna authoritatis ſeruires, ob humanos reſpectus, nil contra eius præſentis voluntatem faceres. *Qui queſo ſamulus*, inquit S. Chryſoſtomus, *antequam Domino debitum expleuerit miniſterium, domũ ſuã vnquam prouidebit?* An non igitur absurdum eſt, inter homines, vbi nudum nomen eſt dominationis, tantam heris reuerentiam exhibere, atque obedientiam, verum autem Dominum, non noſtrum ſolum, ſed ſupernarum etiam virtutum, ne eodem quidem quo ſeruos noſtros cultu & honore dignari: Detestanda ſpes humanorum fauorum & promotionum ad ſpecioſa, ſæpè huius rei eſt cauſa. Sed audi S. Auguſtinum id improbantem: *Tolle ab homine ſpem, quia maledictus omniũ qui ſpem ſuam ponit in homine. Si attendis ad hanc hominem, & eum quaris imitari, & ex illo pendere, ad huc lacte vi nutriti, & ſies mammoſtreptis, quales dicuntur pueri, qui dũ ſugunt, quod non decet. Etenim lacte vi, tanquam per carnem velle ſibi cibum traſici; hoc idem eſt, per hominum vinere. idoneus eſto ad menſam. Forſe viliſter &*

ſin Paulus vocatus.

conc. 1. in Pl. 30.

in malum inciſiſti, quem bonum putaviſti, vt in vberẽ quaſi materno amaritudinem inuenires, & eã offenſione repelleres, & ad cibum validiorẽ inuitereris. Faciunt enim hoc nutrices mammoſtreptis, vt aliqua amara ponant in papillis ſuis, quibus offenſi paruuli ab vberẽ reſiliant, & ad menſam inhiant. Reſili ergo à talibus, melioribus te adiunge, non in hominibus ſed in Deo ſpera, qui adiuuat contemnentẽs humanos reſpectus, & eos qui pluriſ faciunt diuina beneficia quàm humana: quæ cum longè minora ſint diuinis, & non conferant ea in nos ſine diuino beneficio & gratiã, (omnia enim bona creaturis à Deo conceſſa ſunt & conceduntur) non eſt Deus, ob humana beneficia benefactoribus noſtris primùm, deinde per illos nobis collata, offendendus. Nam, vt ait S. Iſidorus Peluſiota, *Qui ius à quibus primùm beneficio affecti ſunt, etiamſi illi minimè aqua petant, omnibus tamen in rebus obſcundare ſat agunt, meo iudicio peccant, quamvis dum inique rei participes ſe præbent, culpam ſuã alterius iure obuelare videantur, nempe, quod ius à quibus beneficium acceperint, gratiam reſpendant. At verò conuenit, vt qui beneficio affectus eſt, ita beneficium referat, vt in bonis atque honeſtis rebus, eum, cuius beneficio vſus eſt, remuneretur, non autem in malis operam ipſi nauet. Hac enim non remuneratio eſt, ſed iniuſtitia.*

*Secundò*, Conſidera, ſi duos haberes amicos, à quorum vno longè maiora bona faciliſque te poſſe conſequi certè crederes, & maiora mala ab eo citiùs immiſſum iri exiſtimares, quàm ab altero, procul dubio ob reſpectum huius amici, nequaquam offenderes priorẽ, in his occaſionibus, in quibus nunc offendis Deum & contriſtas. Sanè nullus eſt tam emortæ mentis, qui oblatã occasione malit offendere Regem, quàm eius aurigã, quia ab illo ſumma ſperare poteſt, non ſic ab iſto. Cùm autem præſtantior ſit Deus & liberalior, collatus cum Rege, quàm Rex cum ſuo aurigã, quanta improbitas eſt, eo modo tractare Deum, quo tractares aurigã? Siquidem non dubitas per reſpectus humanos eo modo offendere Deum, & contemnerẽ, quo offenderes & contemneres aurigã, in occaſione offendendi Regem aurigã meliorem, ſed viliorem ac pauperiorem aurigã, cum Deo collatum. Verè enim eſt quidam contemptus Dei, dum ob amorem alicuius perſonæ vel rei ſperatæ ab aliquã perſonã, ſit id, quod fieri non debet, & eſt vetitum, & quod Chriſtus non faceret nec omitteret, ſi haberet eandem occaſionem quæ ſe offert tibi, hęc & nunc. Omnia iſta, inquit S. Auguſtinus, *quæ amant homines, quia noluit illa habere Chriſtus, vt non habendo offenderet* *concl. 1. in Pl. 30.* *contemnda quæ amant, contemnit illum. Quam ad rem facit id quod ſcripſit S. Gregorius Nazianzenus: Cordatis hominibus pluriſ faciendum, magiſque curandum eſt iudicium Dei, quàm omnium aliorum in vnum coactorum. An tu duos quidem homines, quorum alter acutiore & ſagacior, alter imperitior*

1. 3. epist. 328.

enar. Pl. 1.

concl. 1. in Pl. 30.

orat. 17.

35. Rom. & alibi.